

Iapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria: hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. » Imo ipse s. *Ioannes* in evangelio suo cap. 1, v. 14 reipsa indicat mysterium transfigurationis his verbis: *et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Vide interpretes.

OPPONIT quidem *Horus*, et loc. cit. ait, vocem illam non reapse coelitus insonuisse, sed uni aut alteri semisopito et subito evigilanti discipulo dumtaxat vitio deceptae imaginationis visam fuisse de coelo insonare. Verum id *Horus* more suo solito prorsus gratis et sine omni solida ratione dicit. Dicit, inquam, et non probat. Imo, si vel sola sanae rationis trutina rem expendamus, fortissima praesumptio stat contra ipsius commenta. Si enim vox illa fuit dumtaxat imaginaria, et error deceptae phantasiae, si praeterea ipsa Christi transfiguratio nil aliud fuit, quam illusio optica splendentis lunae, cur hunc errorem Christus discipulis suis non exemit, sed potius eosdem in eo confirmavit? Cur *descendentibus illis de monte praecepit eis... dicens: Nemi- ni dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat* (1)? Nonne fatente ipso *Horo* (2) Iesus erat vir optimi et sinceri cordis, maximaque erga alios benignitate praeditus (3)? Cur ergo tam turpiter discipulos suos decepit, eos confirmando in errore, se divina virtute fuisse transfiguratum, cum tamen haec transfiguratio tantum fuerit effectus naturalis radiorum solis et lunae, accedente somnolen-

(1) Matth. c. 17, v. 9.

(2) Vide supra sect. 2, n. 28.

(3) Ibidem.

tia suorum discipulorum, qui cum ipso in monte erant? Nonne hic patet manifesta *Hori* contradictio?

107. SCHOLION I. Cum *Woolstonus* et *Horus Celsum* in impietate impudentissime secuti sint, ideo mirandum non est, si sacra Christi transfiguratio tum *Celso*, uti constat ex *Origene* (4), tum *Woolstono* et *Horo* tantopere odiosa fuit. Certe *Woolstonus* adhuc plura alia impia, futilia, atque inepta congerit, quae sine ulla iudicii ratione contra transfigurationem Domini congerit, quaeque cl. *Thomas Cerboni* recenset et insigniter refutat (5). Ac ut cetera brevitatis studio sileam, etiam illud quaerit *Woolstonus*, cur hoc miraculum potius in monte, quam in planitie factum fuerit, putatque dici posse, id loci selectum fuisse, ut ex nubibus, quae sistunt in cacuminibus montium, hoc phaenomenon produceretur. Verum longe alia et convenientior ac verisimilior ratio assignari potest, et a cl. *Cerboni* loc. cit. assignatur dicente, « montem veluti locum aptiorem ad transfigurationem habitum fuisse, - ut inter transfigurationem Christi, atque id quod alias *Moyse* in monte *Sina* contigerat, quaedam analogia esset. Ac si *Christus*, tum oraturus, tum praecepta novae legis discipulis traditurus, tum ex eorum numero duodecim apostolos delecturus, secessit a turbis et frequentia hominum, et ascendit in montem; quanto magis decuit, ut nonnisi in monte, et longe ab humanarum rerum strepitu tribus electis discipulis suam divinitatem ostenderet? »

108. SCHOLION II. Qui plura ad convellendas incredulorum contra transfigurationem Christi cavillatio-

(4) L. 4 contra *Celsum*, n. 46.

(5) Theol. revelat. l. 5, q. 1, art. 2, § 2, n. 4.

nes et calumnias peridonea nosse capit, consulat s. *Thomam* (1), cardinales *Lambertini* et *Gotti* de hoc mysterio diserte loquentes, et s. *Thomae* vestigia sequentes, *Gravesonium* (2) *Salmeronem* (3), aliosque interpretes passim. Ab istis enim ex intitulo exponitur transfigurationis notio, modus, tempus, locus, causa et circumstantiae.

109. QUÆRES XXVI. Quid *Horo* respondendum neganti ambulationem *Iesu super mare* (Matth. cap. 14, Marc. cap. 6, Ioan. cap. 6) fuisse miraculosam? R. Hoc fuisse verum miraculum impudentissime negat *Horus* (4) dicens, Iesum non reapse super mare, sed in ripa opposita ambulasse, ita ut discipulis in navi existentibus per fallaciam opticam videretur super mare incedere et ad ipsos appropinquare, donec navis subito ad littus appelleret, eamque Iesus ingrederetur: haec autem omnia naturaliter, seu sine miraculo fieri potuisse. Verum si narratio ambulationis Christi super mare ab evangelistis facta rite consideretur, mox patebit, alteram illam narrationem *Hori* esse plane frivolam et confictam. Quis enim credat, aciem oculorum in apostolis tunc adeo fuisse obtusam et stupidam, ut non adverterint Iesum non super aquas, sed in littore fuisse, cum eum in navem reciperent? Praeterea sat temporis suppetebat apostolis, ut se de veritate huius rei certiores redderent. Nam cum Christum *quarta vigilia noctis* eminens super aquas ambulare conspicerent, *turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et prae timore clamaverunt. Statimque*

(1) 3. Part. q. 45.

(2) De mysteriis et an. Christi.

(3) Tom. 6 de miraculis Christi tract. 53, 54, et 55, p. 207-227.

(4) Loc. cit. pag. 545.

(5) Matth. c. 14, v. 26-33.

*Iesus locutus est eis, dicens: habete fiduciam: ego sum: nolite timere. Respondens autem Petrus* (ex desiderio se cito et sine longiori mora coniungendi magistro suo) *dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni; et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit: et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo extendens Iesus manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicae fidei, quare dubitasti? Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Ex qua tota narratione s. *Matthaei* (5) luculenter patet, quod navigantes apostoli tunc, nimirum *quarta vigilia noctis* (6) visu satis dignoscere potuerint, utrum Christus revera super mare ambularet. Certe s. *Petrus* de hoc miraculo ita convictus fuit, ut ipsemet, adiuvante divino magistro, idem attentare auderet.*

Verum OPPONIT *Horus* loc. cit. et quaerit: Cur *Marcus* et *Ioannes* de hac ambulatione *Petri* super aquas ad Christum altum sileant? Sed ego vicissim ex adversario quaero, cur nolit *Matthaeo* credere, qui dictam *Petri* ambulationem super aquas adeo distincte enarrat et testatur? Nonne *Matthaeus* (aeque ac *Marcus* et *Ioannes*) erat oculatus testis dictae ambulationis *Petri* super aquas ad Iesum, cuius auxilium imploravit? Sed piget ulterius rei tam demonstratae immorari. Qui plura de ambulatione *Iesu* et *Petri* super aquas scire desiderat, consulat *Salmeronem* (7), aliosque interpretes s. Scripturae.

(6) *Quarta vigilia noctis* incipiebat hora tertia post mediam noctem, et durabat usque ad sextam matutinam. Vide *Lallemant* *Morales* expositiones in *Matthaei*, c. 14, v. 25.

(7) Loc. cit. tract. 28, pag. 481-487.

110. QUÆRES XXVII. *An multiplicatio paucorum panum atque piscium ad cibanda plura millia hominum a Christo* (Matth. 14 v. 20, et Matth. 15, v. 34) *facta fuerit, et quidem virtute miraculosa?* R. Affirmative. Veritas huius responsionis patebit ex solutione obiectionum, quas increduli contra hoc miraculum Christi in medium proferunt. Ac inprimis iam olim *Celsus*, sicut alia Christi miracula, ita etiam istud inter praestigias, seu opera, qualia praestigiatore ad decipiendos homines faciunt, numeravit. Sed R. et dico cum *Origene* (1) ad hanc *Celsi* obiectionem ita respondente: « Es- sent (Christi prodigiosa opera praestigiis) similia, si Iesus, uti qui magicas artes profiterentur, nihil praeter vanam speciem ostendisset. Nunc vero nullus praestigiator per ea, quae facit, spectatores ad morum emendationem excitat, aut Dei timorem docet qui spectaculis stupent, aut studet persuadere ut vivant quasi Deo rationem reddituri. Nihil horum praestigiatore faciunt; quia non possunt, aut non consilium habent, aut nolunt corrigendis hominibus operam dare; quippe qui ipsi turpissimis et infandissimis vitiis referri sunt. Hic vero (Christus), qui miraculis suis spectatores eorum, quae bene faciebat, ad morum correctionem adducebat, quomodo non erit existimandus, se praebuisse non solum illis, qui proprie discipuli eius vocati sunt, sed etiam reliquis omnibus exemplum optimae vitae? . . . Si autem Iesu vita fuit eiusmodi, quo iure quis eum cum

(1) L. 1 contra *Celsum*, n. 68.

(2) Disc. 1 on the Miracles, seu *Serm. de miraculis*, pag. 52, et seq.

(3) Loc. cit. n. 41.

(4) Matth. c. 14, v. 17 et seq. Marc. c. 6, v. 54, et seq. Luc. 9, v. 15 et seq. Ioan. c. 6, v. 9 et seq.

praestigiatoribus conferat, et non potius crediderit eum, cum Deus esset, ut promissum fuerat, visum fuisse in humano corpore, ut nostro generi prodesset? » Ita *Origenes*.

111. Alio ex capite miraculum Christi panes et pisces multiplicantis impugnat *Woolstonus* ac ait (2) non esse probabile tantam hominum multitudinem, quantam in evangelio legimus, Christum docentem fuisse secutam extra civitatem; ac proin falso dici Christum effecisse, ut exigua portione panis et aliquot piscium tot hominum millia saturarentur. Verum R., et cum cl. *Thoma Cerboni* (3) ita argumentor: vel de eo miraculo sermo est, quo Christus quinque panibus, et duobus piscibus satiavit quinque millia virorum (4); vel de altero, quo Christus septem panibus, paucisque piscibus quatuor millia virorum saturavit (5)? Si de priori loquamur; turbas, postquam audierant, Iesum in locum desertum secedere, eum secutas fuisse *pedestres de civitatibus* (6), *quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur* (7), et tunc Iesum misertum esse eis, et curasse languidos eorum, atque coepisse illos docere multa, ex evangelistis (8) novimus. Quare mirum non est, si quinque millia hominum Christum secuta fuerint: nam haec multitudo ex vicinis civitatibus et convenire facile poterat, et ut conveniret, illius miracula et coelestis doctrinae pabulum divinique eloquii sui suavitas ac energia effecerant. Et profecto, qui quotidianam experientiam attendit, probe novit, fre-

(5) Matth. c. 15, v. 34 et seq. Marc. 8, v. 5, et seq.

(6) Matth. 14, v. 15. Marc. 6, v. 35. Luc. c. 9, v. 11.

(7) Ioan. c. 6, v. 2.

(8) Marc. c. 6, v. 54. Luc. c. 9, v. 14.

quentes plerumque confluxus populorum fieri, quotiescumque aliquis in publicum prodit, qui aut insolitas artes suas, aut nova spectacula exhibet. Quidni ergo maior hominum multitudo concurreret, si quis aliunde sanctitate vitae conspicuus mirabilia produceret opera, et gravissimas infirmitates vel sola voce, vel manus impositione sanaret? prout a Christo factum esse evangelistae concorditer attestantur.

Si autem sermo sit de altero miraculo, quo Christus septem panibus paucisque piscibus quatuor millia virorum saturavit; pariter observandum est, quod tunc adductae fama miraculorum Christi (1) *accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles et alios multos; et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos, ita ut turbae mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes: et magnificabant Deum Israël*. Unde iterum non mirandum est quod magno numero accesserint, et diutius Christum docentem patienter audierint. Plura contra futes *Woolstoni* argutias, quibus memorata Christi miracula impugnare conatur, invenies apud cl. *Thomam Cerboni* loc. cit.

112. Porro aliud effugium quaerit incredulus auctor de *l'Histoire critique de Jésus-Christ* (2), qui miraculum, quo Christus paucis panibus atque piscibus quinque millia virorum satiavit, impugnat, et hanc rem naturaliter ita explicare conatur: Apostoli, inquit, per collectionem eleemosynae magnam panum copiam obtinuerant: praeterea, cum ascenderent in navim, et abirent in desertum locum seorsum (3), captura piscium delectabantur: haec autem

(1) Matth. c. 15, v. 50 et 51.

(2) Vide cl. *Bullet*, tom. 2, Réponses critiques, num. 49.

omnia sciente Iesu ex composito facta sunt, ita ut ingruente vespere tota praeparatio ad faciendum illud fictitium miraculum multiplicationis panum et piscium facta fuerit, quin tamen populus, qui Christum secutus est, id adverterit, qui proin non per miraculosam panum ac piscium multiplicationem, sed panibus et piscibus iam ante collectis et praeparatis, sine miraculo saturatus est. Ita ille incredulus.

Sed an quid magis ridiculum et inane fingi potest, quam sit iste modus miraculum, de quo agimus, eludendi, illudque in eventum mere naturalem deformandi? Quis enim prudens credat, tantam panum et piscium copiam, quae quinque millibus virorum saturandis sufficeret, iam paratam, effugisse populi oculos et observationem, dum Christus, *acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in coelum benedixit et fregit et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis* (4)? Quis, inquam, credat, ingentem illam panum ac piscium multitudinem iam antea praeparatam, nullo modo a turbis, quae Christum sequebantur, fuisse observatam? Imo potius contrarium manifestum erat omnibus, minimeque dubitabant, escas illas a Christo miraculose multiplicatas esse. Unde eum tanquam magnum prophetam venerabantur, volebantque ipsum facere regem: *Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus* (5).

SCHOLION. Haud absimilis et risu digna erat explicatio illius ducis bel-

(5) Marc. c. 6, v. 52.

(4) Matth. c. 14, v. 19.

(5) Ioan. c. 6, v. 14 et 15.

lici, de quo cl. *Bullet* loc. cit. narrat, quod in coetu hominum proterve dixerit, manna ad cibandos israelitas de coelo deciduum esse meram fabulam. *Moyse* enim, inquebat incredulus ille miles, panes occulte apportari curabat, et rumorem in rudissimum israelitarum populum spargebat, eos esse de coelo lapsos. Verum *Bulletus*, qui in coetu illo praesens aderat, respondit belliduci in hunc modum: « A duce bellico, qualem in te veneror, quique pluribus expeditionibus bellicis, in quibus octoginta aut centum millia militum in aciem educebantur, interfuisti, talem dictae rei explicationem nemo sapiens expectasset. Vidit enim haud dubie dominatio tua stupendam multitudinem curruum, qui ad convehenda alimenta tot millium militum requirebantur: vidit longam eorum seriem unum alterumve milliare viae publicae occupantium. Paucis: Estne possibile, tantam victualium copiam advehi aut apportari, quin id observetur? fuitne possibile, Moysem per 40 annorum tempus pro alenda duorum millionum hominum multitudine potuisse victum accersere, quin id ab ullo israelitarum unquam observatum fuerit? Quantumcumque rudes illi fuerint, ad id observandum non opus erat acri ingenio, sed solis oculis: oculos autem etiam israelitae habebant». Ita *Bulletus*, et recte quidem ad obturandum os increduli hominis.

113. QUARES XXVIII. Quomodo apparentes antilogiae aliaeque incredulorum cavillationes contra miraculum resurrectionis Christi con-

(1) I. Cor. c. 15, v. 14.

(2) Vide *Origenem* l. 2 contra *Celsum*.

(3) *Spinoza* Epist. 22 et 24 ad *Henricum Oldenburgium* resurrectionem Christi non literatiter, sed solum allegorice accipit. Fatetur quidem evangelistas credidisse, Christum revera surrexisse, et ad coelum ascendisse, sed addit, in hoc e-

gestae dissolvendae sint? Antequam respondeam, quaedam benigno lectori praesignificanda aut in memoriam revocanda censeo. Ac imprimis observo, citra controversiam inter miracula Christi eminere gloriosam eiusdem anastasin, ceu basin fidei nostrae iuxta illud s. *Pauli* (1): *Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra; inanis est et fides vestra*. Unde etiam increduli omni virium contentione resurrectionem Christi impugnant. Inter antiquos scriptores, qui eam negabant, praecipui erant *Celsus* (2), alique nonnulli gentiles. Ex recentioribus *Spinoza* (3), *Morgan*, *Tyndal*, larvatus *Horus*, alique complures: saepenumero autem refutati sunt non solum a scriptoribus catholicis, sed etiam a multis protestanticis. Ceterum historiam resurrectionis Christi omni ex parte certissimam esse, solidissimis argumentis demonstrant *Hermann*, *Goldhagen* (4), *Thomas Cerboni* (5), *Feller* (6), *Gregorius Simon* (7), alique celeberrimi auctores. Supposita igitur invicta demonstratione de veritate resurrectionis Christi, nos solummodo apparentes antilogias seu contradictiones aliaeque incredulorum argumenta, seu potius cavillationes contra hoc miraculum Christi accumulatas, singillatim dissolvemus.

### § I.

*Antilogiae apparenter tales.*

114. ANTILOGIA I. *Lucas* (8) ait: *Et dies erat parasceves, et illucescebat sabbatum - et revertentes (mulie-*

vangelistas, salva Evangelii doctrina, potuisse decipi.

(4) P. 5 *Introduct.* in s. *Scriptur.* sect. 4, q. 6. § 2, n. 105.

(5) *Theol. revelat.* tom. 2, l. 5, q. 4, art. 2, § 4, prop. 1, pag. 151-165.

(6) P. 2. *Catech. philos.* c. 2, art. 1, § 3.

(7) Tom. 5 *De relig. art.* 2, concl. 7.

(8) Cap. 25, v. 54 et 56.

res de sepulcro Christi) paraverunt aromata et unguenta. Apud *Marcum* (1) e contra legitur: *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum*. Quomodo haec consentiunt? quomodo mulieres illucescente sabbato revertentes potuerunt parare aromata, quae transacto sabbato primum emerunt? R. et dico, vel paraverunt apud s. *Lucam* idem esse, ac parare coeperunt, ita ut sensus sit: cum sabbatum illucescebat, seu proximum esset ut inciperet, mulieres illae aliqua aromata et unguenta parare coeperunt: sed sabbato ipso, ut loc. cit. mox additur, siluerunt secundum mandatum, id est, quieverunt, nihil egerunt ob mandatum legis prohibentis omne opus. Cum autem transisset sabbatum, quod solis occasu terminabatur, alia aromata vesperi emerunt, ut cum iis quae prius paraverant, et sola satis non erant, ungerent proximo mane corpus Christi in sepulcro. Nulla igitur adest contradictio; *Lucas* enim de inchoata aliquorum unguentorum praeparatione, *Marcus* e contra de ultimo eorundem complemento loquitur. Vide *Menchium* (2), item *Antilogiae IX* solutionem infra a nobis afferendam.

115. ANTILOGIA II. Iuxta *Ioannis* evangelium *Iosephus* ab *Arimathaea*, et *Nicodemus* more iudaeorum Christi corpus sepeliunt, nec ulla occurrit mentio mulierum ad illum unguendum se praeparantium; *Marcus* autem et *Lucas* illarum expressam faciunt mentionem. R. Et similiter dico, nullam hic subesse contradictionem. Ex eo enim, quod *Ioannes* de hac praeparatione mulierum sileat, non sequitur, quod

(1) Cap. 26, v. 1.

(2) *Commentar.* in *Marc.* c. 26, v. 1.

(3) *Histor. Eccles.* l. 5, c. 24.

eam neget: sed hoc unice infertur, quod aliquid omittat, quod iam *Marcus*, et *Lucas* retulerat. Neque talis omissio miranda est; quia scopus s. *Ioannis* in conscribendo evangelio suo non erat, omnia repetere, quae alii evangelistae ante ipsum scripsere, sed potius supplere id, quod ab aliis omissum, et supplendum esse censuit; prout *Eusebius* (3) testatur, de s. *Ioanne* evangelista ita scribens: *Perlati iam in omnium, ipsasque adeo Ioannis notitiam supradictis tribus evangelis (MATTHAEI, MARCI, ET LUCAE), approbavisse ea Ioannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur* (adeoque etiam approbavit ea, quae *Marcus* et *Lucas* de illis mulieribus asserebant): *solum vero narrationem earum rerum, quas Christus circa praedicationis initium gesserat, desiderasse. . . His de causis aiunt, Ioannem ab amicis rogatum, et tempus ipsum, quod superiores evangelistae silentio praetermiserant, et res tunc a Servatore gestas, eas videlicet, quae Ioannis Baptistae carcerem praecedebant, in evangelium suum coniecisse.*

116. ANTILOGIA III. Circa angelos ad sepulcrum Christi conspicuos singuli evangelistae sibi contradicunt; sive deum eorum numerum, sive sermonem, sive locum situmque attendamus, prout cuilibet evangelia legenti patet. R. Nullam in his esse veram et realem contradictionem, ex instituto ostendunt orthodoxi interpretes; prout videre est in *Breviario scripturistico in dominicalia totius anni evangelia* (4), et apud *Suarez* (5), aliosque auctores mox citandos. Aliquas solummodo paulo difficiliore ex apparentibus

(4) In *Dominica Paschae* § 2, p. 422-426. Edit. Augustan. an. 1772.

(5) *Tom.* 2, in 5. part. s. *Thomae*, disp. 49, sect. 2, 5 et 4.

his antilogiis hic propono, et dissolvo, quas etiam larvatus ille *Horus* velut insolubiles nobis obiicit, dum in detestabili suo opere (1) ita inquit: iuxta *Matthaeum* et *Marcum* tantum unus angelus apparuit mulieribus, et quidem sedens super lapidem (2): iuxta *Lucam* vero duo angeli, et quidem stantes (3). Iuxta *Ioannem* (4) *Maria Magdalene* stabat ad monumentum foris, et prospexit in monumentum: iuxta *Marcum* vero (5) eadem cum aliis mulieribus introivit in monumentum. Denique iuxta *Matthaeum* (6) angelus, ut paulo ante dictum est, sedit super lapidem revolutum, id est extra sepulcrum: iuxta *Marcum* (7) vero mulieres non extra, sed introeuntes monumentum, id est, intra sepulcrum viderunt angelum. Itaque ex his *Horus* infert multiplicationem dari inter evangelistas contradictionem. I. Inter unum apud *Matthaeum* et *Marcum*, et duos angelos apud *Lucam*. II. Inter sedentes et stantes angelos ibidem. III. Inter apparentem angelum extra sepulcrum apud *Matthaeum*, et intra sepulcrum apud *Marcum*.

¶ In his omnibus nulla est realis contradictio, sed dumtaxat apparenter talis. Neque *Horus*, aliique increduli asserendo has antilogias novum quid proferunt; cum easdem *Suarez* (8), *Barradius* (9), *Maldonatus* (10), aliique celeberrimi doctores et interpretes s. Scripturae praeter *Caesarem Calino* in *Biblica Historia* L. 8 cap. 19, iam pridem luculenter dilucidarint. Certe si et diversae apparitiones, et diversi an-

(1) P. 448 et 449.

(2) Matth. c. 28, v. 2. Marc. 16, v. 5.

(3) Luc. c. 24, v. 4.

(4) Ioan. c. 20, v. 11.

(5) Marc. c. 16, v. 4 et 5.

(6) Matth. c. 28, v. 2.

(7) Marc. c. 16, v. 5.

(8) Loc. cit. sect. 3.

geli, et diversae mulieres inter se probe discernantur, omnis illico antilogia seu contradictio evanescent; prout ex dicendis patebit. Caeterum non sine speciali divinae Providentiae consilio factum est, ut circa eiusmodi visiones nonnullae apparentes antilogiae occurrerent; ne scilicet evangelistae existimarentur ex conducto hanc historiam confinxisse, id quod increduli hodie dum asserunt. His praenotatis

AD PRIMUM ¶. Et dico cum *Suarez* (11), *Tirino* (12), et aliis, duos viros, id est angelos forma virili apparentes (de quibus apud s. *Lucam* loc. cit. sermo est), fuisse diversos ab illo angelo, quem *Matthaeus* et *Marcus* loc. cit. dicunt ante sepulcrum apparuisse. Duo enim illi viri non erant extra, sed intra sepulcrum, ut confirmat s. *Ioannes* (13) de *Magdalena* dicens: *Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu*. Verum haec magis elucescent infra in responsione ad tertium. Interim nobis sufficit, quod iuxta sententiam *Suarez*, *Tirini* etc. modo recensitam nulla contradictio detur inter *Matthaeum* et *Marcum* loc. cit. loquentes de uno angelo, et inter *Lucam* loc. cit. loquentem de duobus. *Lucas* enim loquitur de angelis diversis ab illo angelo, de quo *Matthaeus* et *Marcus* loc. cit. loquuntur.

AD SECUNDUM ¶. et dico cum *Maldonato* (14) *Corn. a Lap.* (15) etc. vocem stare non semper significare rectum corporis vel personae situm, sed solam eius praesentiam, sive

(9) Tom. 4 Comment. in concordiam et historiam 4 Evangelistarum, l. 8, c. 3.

(10) Comment. in Matth. c. 28, v. 3.

(11) Loc. cit.

(12) Comment. in Luc. c. 24, v. 4.

(13) Cap. 20, v. 12.

(14) Comment. in Matth. c. 28, v. 3.

(15) Ibid. v. 2.

recto situ consistat, sive sedeat, sive iaceat. Sic de *Magdalena* ait *Lucas* (1): *Stans retro* (hoc est iacens seu provoluta) *secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius*. Non enim erecta erat, sed ad Christi pedes provoluta, cum eos lacrymis rigaret, capillis tergeret, ungeret, oscularetur. Similiter ergo verba illa apud *Lucam* cap. 24, v. 4: *Ecce duo viri steterunt secus illas*, solum significant praesentiam, sive, quod duo angeli praesentes fuerint seu apparuerint illis mulieribus. Praeterea illi duo viri (ut iam supra ad primum dixi) erant diversi ab illo angelo, quem *Marcus* dicit *sedisit super lapidem*: ergo nulla hic est contradictio. Taceo alias aliorum responsiones, quibus eandem antilogiam apparenter talem dissolvere student, et quas *Maldonatus* erudite recenset.

AD TERTIUM ¶. cum *Suarez* (2), et inprimis suppono ex s. *Cyrillo hierosolymitano* (3) et *Bocharto* (4), in sepulcro Domini duplicem fuisse speluncam, alteram exteriorem (quam s. *Cyrillus* appellat *vestibulum sepulcri*); alteram interiorem, in qua excisum erat sepulcrum, atque ante hanc speluncam interiorem ostium fuerat monumenti, ad quod lapis ille advolutus, quo sepulcrum Domini clausum dicitur in evangelio. Hoc ergo supposito, facile tollitur obiecta nobis antilogia tertia. Angelus nimirum ille, de quo loquuntur *Matthaeus* et *Marcus* loc. cit., qui lapidem removerat ab ostio interioris speluncae seditque super eum, positum ex parte exterioris

(1) Cap. 7, v. 58.

(2) Loc. cit.

(3) Catechesi 4.

(4) L. De descriptione terrae sanctae, in prima parte, c. 7.

speluncae, sic erat EXTRA sepulcrum Domini (hoc est, extra interiorem partem speluncae) ibique visus et locutus est mulieribus *introeuntibus in monumentum*, videlicet in primam partem speluncae: cum vero mulieres, monente eodem angelo (5), ingressae fuissent sepulcrum, ibi, hoc est, INTRA speluncam interiorem viderunt duos viros, seu duos angelos in veste fulgenti: ut ex *Lucae* et *Ioannis* textibus supra citatis ostenditur; dum enim *Marcus* de uno tantum angelo mentionem facit, plures non excludit, neque duos fuisse negat.

COROLLARIUM. Eadem est apparitio, idemque angelus, de quo *Matthaeus* et *Marcus* loc. cit. loquuntur, ut *Suarez* (6) cum s. *Augustino* (7), *Theophylacto* et aliis docet ac probat ex similitudine circumstantiarum. Uterque enim ille evangelista describit angelum sedentem, et indutum veste candida, et loquentem ad foeminas eisdem fere verbis. Neque ulla est dissonantia in eo, quod *Matthaeus* significet, angelum fuisse extra sepulcrum sedentem super lapidem; *Marcus* autem indicet, angelum visum fuisse intra sepulcrum, dum ait: *Introeuntes in monumentum viderunt iuvenem etc.* Ut enim omittam alias expositiones, quas *Suarez* loc. cit. refert, sufficit iam data explicatio, quam etiam idem auctor optimam et facillimam censet, scilicet vocem *introeuntes* significare, quod ingressae fuerint mulieres primam seu exteriorem speluncam, et ibi viderint angelum sedentem super lapidem revolutum et positum ex parte dextra exterioris speluncae,

(5) Matth. c. 28, v. 6, Marc. c. 16, v. 6.

(6) Loc. cit.

(7) L. 5 De consensu Evangelistarum, c. 24.

qui proin hac ratione mulieribus apparuit eisque locutus est *extra sepulcrum*, hoc est *extra speluncam* interiorem, et tamen erat *intra sepulcrum* seu speluncam exteriorem *sedens in dextris*, seu dextro latere sepulcri. *Ex qua loci descriptione*, inquit Suarez loc. cit., intelligitur *illam exteriorum partem speluncae respectu diversorum dici posse esse extra, et intra sepulcrum. Etenim si per sepulcrum intelligamus... interiorum specum, ubi positum fuit corpus Domini, reliqua - pars dicitur exterior, et qui in illa fuerit, dicitur esse extra sepulcrum: si autem per sepulcrum, seu monumentum intelligamus totam illam speluncam, sic qui fuerit intra priorem (seu primam) partem eius, dicitur esse intra sepulcrum.*

Aliam adhuc ex superabundanti responsionem addit *Cornelius a Lapide* (1) negans omnino suppositum, quod illa vox *introentes* apud *Marcum* necessario intelligenda sit de actu ipso perfecto introitus in monumentum, atque memoratam vocem posse intelligi de voluntate et actu inchoato introitus, ita ut mulieres adhuc extra monumentum fuerint, ibique angelum sedentem super lapidem viderint. Verba *Cornelii* sunt: «Quare quod *Marcus* ait, *Introentes monumentum*, sic accipe, quasi diceret: cum pararent vel inciperent ingredi monumentum: necdum enim illud ingressae erant, sed adhuc extra illud erant, ibique viderunt et audierunt angelum, ut habet *Matthaeus*. *Introire* enim hic, ut et alibi, significat actum inchoatum, non perfectum. » Iuxta hanc autem modo laudati interpretis explicationem apparens contradictio inter *Matthaeum* et *Marcum* loc. cit.

(1) Comment. in Matth. c. 28, v. 2.

(2) Cap. ult. v. 10.

(3) Cap. 20, v. 18.

omnino corrui et evanescit; prout per se clarum est.

117. ANTILOGIA IV. Apud *Lucam* (2) *Magdalena* aliaque mulieres *Petro*, atque caeteris discipulis Christi resurrectionem nuntiant; apud *Ioannem* (3) vero sola *Magdalena* hoc nuntium discipulis attulit. Nullane in his contradictio? R. Nulla realis, sed solum apparenter talis. Nam s. *Ioannes* non dicit, quod SOLA *Magdalena* hoc nuntium discipulis attulerit, sed tantum ait: *Venit Maria Magdalene annuncians discipulis etc.* Neutiquam autem negat, quod idem nuntium confirmatum fuerit a mulieribus reliquis, de quibus s. *Lucas* loc. cit. expresse ait: *Erat autem Maria Magdalena, et Ioanna, et Maria Iacobi, et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec, scilicet Christum resurrexisse.* Porro integram *Dominicae* resurrectionis historiam, sive totam rei seriem, quo ordine et modo *Christus* rediivus *Mariae Magdalene* et alii mulieribus apparuerit, et quomodo hae resurrectionem Domini apostolis annuntiarint, *Suarez* loc. cit., sect. 3 et 4 perquam erudite recenset.

118. ANTILOGIA V. *Christus* apud *Matthaeum* (4) permittit, ut pedes ipsius a mulieribus tangantur: sola *Magdalena* apud *Ioannem* (5) *Christum* tangere prohibetur. R. Omnis antilogia seu discordantia evanescit, si rite distinguantur duae apparitiones Christi, quas *Magdalena* habuit; unam siquidem habuit communem cum aliis foeminis in reditu ad urbem; uti *Matthaeus* loc. cit. narrat. Alteram tempore priorem, quae *Magdalene* soli obtigit, de qua *Ioannes* loc. cit. loquitur, et quam *Marcus* (6) indigitat, eamque primam

(4) Cap. 28, v. 9.

(5) Cap. 20, v. 17.

(6) Cap. 16, v. 9.

*Christi* apparitionem appellat. Iam vero hae duae apparitiones minime sibi contradicunt, prout interpretes passim ostendunt. Nam, dum *Christus* in priore apparitione apud *Ioannem* ad *Magdalenam* ait: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*; non simpliciter et omnino vetuit, ne ipsius pedes deoscularetur ac veneraretur, sed solum voluit significare, ut cito properaret ad annuntiandam suam resurrectionem discipulis. Sensus ergo est: *Noli me tangere*, id est, ne sis occupata in me tangendo, ac si non esses amplius me visura: *nondum enim ascendi etc.*, hoc est, nondum enim ascendo, vel non ascendam tam cito ad coelum, sed adhuc 40 dies in terra versabor, ac me vobis videndum, tangendumque exhibebo. Idcirco propra ad alias mulieres, quae a sepulcro reduces in *Ierusalem* revertuntur, ac cum iis illico perge ad fratres meos apostolos de mea morte tristes, atque dic illis, me resurrexisse etc. Ita hunc locum explicant *Suarez* (1), *Dominicus Bannes* (2) de hac explicatione his verbis pronuntians: *Qui sensus valde literatis videtur, et eum omnibus modernis catholicis merito placuisse video.* Eandem explicationem etiam approbant et tenent *Ribera* et *Cornelius a Lap.* (3) etc.

Porro ex hoc sensu facile tollitur difficultas, quomodo *Christus* postea se tangi permiserit ab ipsa *Magdalena* et huius sociabus, cum dixit eis: *Avete: illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes eius* (4). Respondetur enim hoc permisisse, quia *Magdalena* iam ex parte impleverat, quod *Christus* iusserat, et

(1) Loc. cit.

(2) 1 Part. q. 1, art. 40, dub. 6.

(3) Comment. in Evang. s. Ioan. c. 20, v. 17.

cum reliquis mulieribus, quas celeriter passu est consecuta, laetum nuntium de resurrectione Christi apostolis afferre festinabat: neque iam morari volebat ad pedes Domini, sicut prius; sed tantum simul cum aliis foeminis eum adorare, et statim iter maturare suum. Eiusmodi autem brevis attentus pedum Christi in signum reverentiae et adorationis non erat contra praecedentem *Servatoris* prohibitionem: *noli me tangere*. Ut enim iam supra monui, his verbis *Christus Magdalene* non vetuit, ne unquam, et solum breviter in signum reverentiae ipsius pedes tangeret et veneraretur, sed ne moram faceret, et in hoc actu longius se detineret. Sicuti et quando discipulis dixit: *Neminem salutaveritis in via* (5), non interdixit eum salutandi modum, quem caritas, atque urbanitas exigit, sed solummodo omnem vanam confabulationem, et distractionem ac moram; ut *Tirinus*, aliique interpretes in hunc locum recte observant.

NEQUE DICAS: Ipsa haec vox *tenuerunt* apud *Matthaeum* 28, v. 9 videtur indicare, quod *Magdalena* et reliquae mulieres *Christum* longius detinuerint, et eius pedes cum prolixiore mora amplexatae sint. R. Nego illatum. Nam haec phrasia *tenuerunt pedes alicuius et adorare*, per se loquendo, non significat longiorem illius, qui adoratur, detentionem, vel longiorem adorantis apud eum, quem adorat, moram, sed solum indicat exhibitionem seu signum reverentiae erga alterum. Ut enim *Maldonatus* (6) erudite ostendit, erat inter iudaeos reverentiae et adorationis genus, praesertim mulierum erga viros, pedes tangere: sicut (7)

(4) Matth. c. 28, v. 9.

(5) Luc. c. 10, v. 4.

(6) Comment. in Matth. c. 28, v. 9.

(7) Exod. c. 4, v. 25.

*Sephora* pedes tetigit, quasi deprecabunda, et mulier illa Sunamitis (1), cum ad *Elisaeum* venisset, eius pedes tetigit, orans ut veniret, et filium suum mortuum suscicaret. Quemadmodum etiam apud graecos teste *Homero* (2) adoraturi genua tangebant.

Καὶ ὅτε πᾶσι αὐτοῦ καθέστη, καὶ λάβει τοὺς πόδας,

inquit graecus ille poëta: de qua consuetudine, et eius origine multa *Plinius* (3) disserit. Certe *Christus Matth.* loc. cit. non legitur apud *Magdalenam* et reliquas mulieres, dum eis in via apparuit, moram traxisse, sed potius mox eas dimisit, ut apostolis nuntiet, quod Dominum in Galilaea visuri sint: *Et ecce Iesus occurrit illis* (mulieribus), *dicens: Avete. Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes eius* (textus syriacus habet: *prehenderunt pedes eius*), *et adoraverunt eum*. Propterea ergo *tenuerunt* seu tetigerunt *pedes eius*, ut adorarent.

119. ANTILOGIA VI. Secundum *Matthaeum* (4) *Christus* rediivus *Magdalenae* redeunt in urbem, secundum *Ioannem* (5) autem eidem stanti ante fores sepulcri apparuit. R. Iam supra in responsione ad antilogiam quintam statim ab initio ostendimus, omnem discordantiam inter citatos hic textus *Matthaei* et *Ioannis* evanescere, si rite distinguantur duae apparitiones Christi, quas *Magdalena* habuit.

120. ANTILOGIA VII. Iuxta *Matthaeum* (6) et *Marcum* (7) *Christus* tum per angelos, tum per mulieres

- (1) IV. Reg. c. 4, v. 27.  
 (2) Iliad. l. 1, v. 500.  
 (3) Libro 11, c. 45.  
 (4) Cap. 28, v. 1 et 8.  
 (5) Cap. 20, v. 11 et 14.  
 (6) Cap. 28, v. 7. (7) Cap. 16, v. 7.  
 (8) Cap. 24, v. 55 et 56.  
 (9) Commentar. in Matth. c. 28, v. 7.  
 (10) I. Cor. c. 15, v. 6, de qua Christi

moneri iubet apostolos, ut in *Galilaeam* abeant, ubi ipsum visuri essent; apud *Lucam* (8) vero narratur, quod *Christus* apparuerit apostolis *Hierosolymae*. R. Cum *Cornelio a Lap.* (9), et aliis, ac dico, nullam hic realem esse antilogiam seu contradictionem inter evangelistas. Qui enim loquuntur de *Christi* in *Galilaea* apparitione, nullibi negant, eundem etiam *Hierosolymis* apparuisse; sed in hoc solummodo differunt, quod *Matthaeus* et *Marcus* de visione magis solemniter loquantur; utpote quae in *Galilaea* (10) plusquam quingentis discipulis facta est: *Lucas* vero aliam minus solemnem commemorat, quae ipso resurrectionis Dominicae die congregatis apostolis, et iis discipulis, qui tum *Hierosolymis* cum apostolis commorabantur, obtigit.

121. ANTILOGIA VIII. Iuxta *Matthaeum* (11), *Marcum* (12), et *Lucam* (13) plures mulieres; iuxta *Ioannem* vero sola *Magdalena* (14) visendo sepulcrum Domini angelos vidit. R. Et quaero similiter ego, cur *Ioannes* solam *Magdalenam* ad monumentum venisse dicat, cum caeteri evangelistae plures mulieres venisse dixerint? Nimirum (uti iam supra in solutione secundae antilogiae apparenter talis de s. *Ioanne* observavi) non fuit evangelistis propositum, omnia penitus connumerare. Sic ex. gr. plures iuxta crucem Christi mulieres erant; multi etiam viri, ut *Lucas* (15) indicavit: *Matthaeus* (16) vero tres tantum nominavit mulieres, virum nullum.

apparitione in monte *Galilaeae* fuse disserit *Barradius* tom. 4 in concordiam et historiam 4 Evangelistarum, lib. 9, c. 6.

- (11) Cap. 28, v. 1.  
 (12) Cap. 16, v. 1.  
 (13) Cap. 24, v. 9.  
 (14) Ioan. c. 20, v. 1.  
 (15) Cap. 25, v. 49.  
 (16) Cap. 27, v. 56.

Eadem ratione *Ioannes* solum *Magdalenae* mentionem facit, quod venerit ad sepulcrum Domini, et angelos viderit. Egit autem *Magdalena* haud dubie in visendo sepulcro praecipuas officii partes, et omnium aliarum mulierum, ad illud venientium nobilissima. Quod vel ex eo intelligitur, quod caeteri evangelistae, cum plures mulieres visentes sepulcrum Domini nominant, eam semper primo loco ponunt, ut videre est apud *Matthaeum* (1), *Marcum* (2) et *Lucam* (3).

COROLLARIUM. Cesset impius *Horus* mirari diversitatem quatuor evangelistarum in nominandis mulieribus sepulcrum Christi visentibus, dum in detestando suo opere (4) sarcastice ita ait: «*MATTHAEUS* tantum duas mulieres ad sepulcrum accedentes novit, *Mariam* et *Mariam Magdalenam*. *MARCUS* e contra loquitur de tribus illuc venientibus, *Maria*, *Maria Magdalene* et *Salome*. *Lucas* rem adhuc melius novit, et narrat illas mulieres, quae Domino in Galilaea inserviebant, et eum *Hierosolymam* euntem secutae sunt, cum aliquot insuper aliis ad sepulcrum perrexerit. *IOANNES* vero nullam aliam, quae mane ad sepulcrum iverit, novit, nisi unicam *Mariam Magdalenam*. » Nimirum non attendit, aut attendere noluit incredulus ille blatero, quod, dum unus

evangelista unam vel alteram mulierem ad sepulcrum Domini venientem nominat, ideo alias mulieres ab aliis evangelistis nominatas non excludat, neque inficietur, has pariter ad sepulcrum venisse. Nulla igitur hic est contradictio; ut ex supra dictis (5) satis constat.

122. ANTILOGIA IX. Circa tempus adventus mulierum ad sepulcrum Domini manifesta inter evangelistas videtur esse contradictio. Nam s. *Matthaeus* (6) ait, quod *Vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venerit Maria Magdalena, et altera Maria videre sepulcrum*. E contra *Marcus* (7) ait de mulieribus: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole*. Porro *Ioannes* rem ita describit (8): *Una autem sabbati Maria Magdalena venit mane, cum adhuc essent tenebrae, ad monumentum*. Ex quibus deistae tale deducunt argumentum: Omnes sciunt, mane opponi vesperi, ac tenebras orto iam soli; atqui sic loquuntur evangelistae; ergo manifeste sibi contradicunt. R. Et omissis aliis responsionibus dico cum *Cornelio a Lap.* (9), *vespere*, seu *vesperam sabbati* esse noctem, quae sequebatur sabbatum, et quae nox *lucescit*, id est, terminatur et desinit in lucem in *prima sabbati* (10), id est mane diei dominicae, quae prima dies est in heb-

- (1) Cap. 28, v. 1. (2) Cap. 16, v. 1.  
 (3) Cap. 24, v. 10. (4) Pag. 447.  
 (5) Relege supra dicta in solutione Antilogiae, 4 et 8.  
 (6) Cap. 28, v. 1. (7) Cap. 16, v. 2.  
 (8) Cap. 20, v. 1.  
 (9) Comment. in Matth. c. 28, v. 1.  
 (10) Hic observandum, quod vox *Sabbatum* in s. Scriptura vario sensu accipitur. Non enim semper significat ultimam hebdomadae diem, quae iudaicis specialiter sacra erat, et nostram diem Dominicam immediate praecedit, sed etiam sumitur pro tota hebdomada seu septimana. Sic *Luc.* 18, v. 15, *Phariseus* ait:

*Ieiuno bis in Sabbato*, id est in hebdomada: a potiore enim die tota hebdomada vocabatur *Sabbatum*. Unde textus arabicus habet, ieiuno duobus diebus in *omni hebdomade*. Ob eandem rationem vox ista *Sabbatum* interdum pro quavis die hebdomadae seorsim spectata sumitur. Nam sicut septem dies hebdomadae dicuntur *feriae* hoc ordine, *prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima feria*, sic ab hebraeis *Sabbata* dicebantur hoc ordine, *prima Sabbati, vel Sabbatorum, secunda sabbat*, et sic de reliquis. Igitur dum s. *Matthaeus* ait, sanctas mulieres *vespere Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati*,